



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Prosa Exegesis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

Vanique ioci Cytherea tui,  
 Dum seua manu tela coruscans,  
 Mors in medios ruit amplexus,  
 Thalamiq̄ue facem in busta supmat.  
 Vanae tot opes, quas locupletis  
 Arca flagellat: si neque naulum  
 Tribuunt umbris, Dominiq̄ue breuem  
 Non comitantur pulueris urnam.  
 Et vanus honor, vanaq̄ue sceptrā,  
 Quibus exaquant fata ligones,  
 Dum par cineres deprimit horror.  
 Vanaq̄ue fama est, quae dum tumulo  
 Caput exertat, victa tenebris  
 Spolium restat labilis aui.  
 Vanumq̄ue sophos quod sapienti  
 Stulta applaudens turba ingeminat:  
 Dum nocturnae redolens fumum  
 Cura lucernae vitam ex sanguem,  
 Penitasq̄ue vorat tabe medullas.  
 Quocumque igitur lumina flecto,  
 Quocumque agro corde volutor,  
 Nil quod satiet suggerit orbis.  
 Hei mihi, quantum in rebus inane est!

## PROSA EXEGESIS.

**H**oc epiphonemate spem nobis omnem praecidit  
 Ecclesiastes, aliud quam vanitatem in rebus hu-  
 manis consequendi: quod postquam ex ipsa rerum na-  
 turâ toto hoc Tractatu ostendit, tum vel maximè po-  
 stremis aliquot Sectionibus, ex inuitabili mortis extre-  
 miq̄ue iudicij necessitate conuincit.

Et quoniam hæc hominem potissimum concernunt,

*Homo est  
vanitatum  
vanitas.*

caque in primis, quibus iam nunc ænigmaticè senectutem descripsit; videri non immeritò cuiquam potest per vanitatem vanitatum sugillare ipsum hominem voluisse, quo nihil est in rerum naturâ magis vanum.

*Maximè  
quoad cor-  
pus.  
Ad Mar-  
ciam, c. 11.*

Quid enim est homo? ait Seneca: quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. iactatu, non tempestate magnâ, vt dissipetur, est opus. vbicumque arietauerit, soluetur. Quid est homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, variis cæli iniuriis, elementorum, meteororum, locorum temporumque obnoxium. Sed hæc corporis sunt propria.

*Etiâ quoad  
animam.*

An fortasse maior est animæ nobilitas, vigorque sensuum? certè nullum est sensus organum, quod non suâ quadam propriaque labore vanitate. Visus caligine offunditur, auditus tympanum humoribus obstructum surdescit, odoratus fœtore, gustus amaritudine, tactus doloribus infestatur. Quid rationem commemorem, quæ principem in homine dignitatem obtinet? Heu quàm densis illa vanitatum nubibus obsidetur! Ecce tibi impenetrabilem errorum caliginem, opinionum fallaciam, consiliorum incertitudinem, studiorum mutabilitatem, & nescio quorum non malorum Iliadem. Nihil enim opus est inhærere singulis, cum certissimam Prophetæ vocem teneamus: *Vniuersa vanitas, omnis homo viuens.*

*Psal. 38, 6.*

Quæ omnia veriora certioraque deprehenduntur, cum pulchrum illum microcosmum sensim sine sensu adrepens senectus occultis cuniculis subruit, ac mors tandem in cinerem ac fauillam conuertit. Et hæc quidem de homine.

Sed

Sed multò latius patere existimo illa Sapientis verba, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, & ad omnia se extendere, quæ in vitâ mortalibus occurrunt. Quid autem in hoc exilio nostro non plenum vanitatis plenumque periculi? Vnicum audite testem Magnum Leonem. Plena, inquit ille, sunt omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Idemque alibi: Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis: illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia est negligentia, & hæ causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore: nec interest utrùm animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis; cùm par morbus sit, vel sub vanâ delectatione gaudere, vel sub anxiam sollicitudine laborare.

Quis vnquam credidisset, nisi tantis testimoniis conuictus, ac diuinâ luce collustratus, tot spinas, tot fæces, tot miserias, tot tragœdias in hoc mundo sub falsis nominibus bonorum & voluptatum delitescere? vt nunc fumos, vmbas, fucos, bonorumque omnium inanitatem præteream. Etenim rogo vos, si (quod ambiunt voluptatis asseclæ) omni vitâ spectaculis & varietate obiectorum pasceretis oculos, num oculi vestri pinguescerent? Si mentem cupiditatibus, essetne ditior? Si aures rumoribus, essentne pleniores? Si carnem dapi- bus, num fieret immortalis? Hæ tenebræ sunt eorum, qui abducti vanitatibus, nesciunt quid sit beatè viuere. Putant enim, cùm sperant & expectant grandia, se multum profecisse; neque tamen centesimus quisque, quod som-

In mundo  
omnia ple-  
na vanita-  
tis & peri-  
culi.

Leo Ser. 5.  
Quadrag.

Idē Ser. 11.  
Quadrag.

Campian.  
Epist. 6.  
Obiecta  
sensuum &  
cupiditatu  
hic non sa-  
tiant.

somniauit, assequitur: tum postquam subduxit rationes, & curarum sarcinam, euentus lubricos, foeditissimam seruitutem, timores, insidias, cruces, fastidia, rixas, nequitas numerauit (quæ vnâ semper habitant; semperque diuexant amatores mundi) sine dubio inueniet seipsum turpissimum atque egentissimum esse mancipium.

Mors &  
iudicium  
extremum  
humana  
omnia vani-  
tatis con-  
demnant.

Sed hæc omnia cum satis prolixè toto Libro tractata sint, hoc vnum restat, huiusque loci proprium est, vt rerum omnium vanitatem è duobus potissimè Capitibus proximè tractatis eliciam, morte scilicet & extremo iudicio. Quemadmodum enim in scenâ, obductâ cortinâ, totus ille theatri splendor euanescit, & ad mendicabula Reges Principesque personati reuertuntur; ita postquam huius vitæ cortinam mors obduxerit, omnis illa falsorum bonorum species, & mortalitatis huius fucus extinguitur. Et quemadmodum emicante fulmine nocturnæ tenebræ momento dissipantur, ita fulminatrix illa Iudicis sententia, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, adumbratam huius vitæ felicitatem vanam, mendacem, adeoque nullam fuisse demonstrabit.

Diuitiarum  
in morte  
vanitas.

O qui stupor, quæ consternatio futura est, cum ij, quibus ad nutum omnia circumfluebant, se nudos, omniq; solatio destitutos inuenient? cum apex ille superbiæ redactus erit ad cineres & fauillas? cum dormient somnum suum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenient in manibus suis?

Psal. 75, 6.

Sueton. in  
Tiberio.

Quid olim Seiano profuit diuinitatis affectatio, quid aræ, quid sacrificuli, quid victimæ, cum Tiberij iussu vnco per plateas à carnifice tractus est? Quid Antiocho deliciae profuerunt, cum illud tantis deliciis enutritum corpus quasi viuum cadauer animam fœtore ac putre-

putredine suffocavit? Quàm vana fuit in Crasso illa tam insatiabilis auri cupiditas, cum per ludibrium abscisso capiti aurum liquefactum in os infusum est?

Quid Priamum, humanæ felicitatis exemplar, Re- <sup>Honoris in</sup> <sub>morte,</sub> <sup>vanitas.</sup>   
giæque fortunæ ac maiestatis typum, in medium produ-   
cam, illum inquam

— tot quondam populis terrisque superbum

Regnatorem Asia? Jacet ingens littore truncus,

Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.

Virg. lib. 2.   
Aeneidos.

De pulchritudine quid dicam? Quanta sit eius in <sup>Pulchritu-</sup> <sub>dinis in</sub> <sup>vanitas.</sup>   
morte vanitas, documento nobis esse poterit infamis illa   
Iesabel, cui ex tam pulchro corpore vix tantum residui   
canes fecerunt, quod agnitioni ac stupori sufficeret, &   
huic epiphonemati, *Hæcine est illa Iesabel?*

4. Reg. 9.

Denique quid hominum plausus & adulantium en- <sup>Superbia</sup> <sub>in morte,</sub> <sup>vanitas.</sup>   
comia Herodi profuerunt, quibus ille quasi ferentibus   
quibusdam ventis in superbiam ac diuinitatis affecta- <sup>Actor. 12.</sup>   
tionem prouectus, Deo seuerè vindicante, à vermibus   
corrosus interiit?

Ex quibus omnibus manifestè colligitur, quidquid in   
vitâ iucundum est, splendidum, magnificum, id omne   
vanum ac friuolum deprehendi, simul ac ad Lydium   
mortis lapidem fuerit exploratum.

Nec minùs hæc ipsa vanitas, ad supremi Iudicis ad- <sup>Vanitas ve-</sup> <sub>rum hu-</sub> <sup>manarum</sup> <sub>in extremo</sub> <sup>iudicio.</sup>   
ducta tribunal, deprehenditur, in quo contraria mundi   
principiis habentur axiomata. Plerique mortalium feli- <sup>Honoris.</sup>   
ces eos arbitrantur, qui dignitate ceteris ac potestate   
præcellunt. Sed quàm vana sit ista felicitas, diuino hoc   
oraculo docemur: *Potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6, 7.

Alij beatos existimant, quos fortuna diuitiis cumula- <sup>Diuitiarū.</sup>   
uit: sed quàm diuersa sint ab hac opinione Dei iudicia,   
testatur Apostolus Iacobus: *Agite nunc diuites, plorate* Iacob. 5, 1.

*Volulantes in miseris vestris, quæ aduenient vobis. Aurum & argentum vestrum eruginavit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.*

*Voluptatum.*

*Apoc. 18, 7*

Alij delicias & voluptates inter prima bona, & per se expetenda numerant; sed nulla tam iucunda potest esse voluptas, quæ non in fel amarissimum conuertatur, simul ac diuina illa vox auribus insonuerit: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

*Caueandum ne vanitas etiam huic Operi obrepat.*

Sed iam satis multa de vanitate dicta sunt: hoc vnum restat, vt prospiciam, ne dum cetera mortalium vanitatis insimulo, hæc etiam scriptio eiusdem culpæ rea teneatur. Si enim aliud quàm Dei gloriam quæro, vereor ne humanæ gloriæ fumos auramque popularem captasse conuincar. Et quamuis initio huius Operis hoc mihi propositum fuerit, vt Dei gloriam intuerer: nescio tamen quo pacto in ipso decursu vana gloria bonorum operum depredatrix subinde se velut itineris comitem adiungit, & instar dissimulati latronis rectam intentionem iugulat.

*Gregor. 1. 9 Mor. c. 13.*

Atque ita contingit, quòd ait diuus Gregorius, vt vnum idemque opus culpa peragat, quod virtus inchoauit.

*Idem 1. 35. cap. 16.*

Quemadmodum, vt alibi notat, subinde refectionem corporis, quam salutis causâ suscepimus, causâ voluptatis explemus.

*Intentio minus recta faciliè actiones nostras inquinat.*

Fatendum est igitur, inquit, quod rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnumquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem diuinitus de his districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona quæ habere credimur, pura bona esse non

pos-

possunt? Igitur quæso, vt quisquis hæc legerit, apud districtum Iudicem solatium mihi suæ orationis impendat, & omne, quod in me sordidum deprehenderit, fle-  
tibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collatâ, Lector meus in compensatione me superat, si, cum per me verba accipit, pro me lacrymas reddat. Haftenus diuus Gregorius: cuius si affectum induere ac sinceritatem potuero, magnum me operæ pretium fecisse existimabo. Hoc igitur in votis habens, & vnicam in hoc Opere spectans Dei gloriam, cum Ecclesiaste vasa colligam, qui sub alienâ personâ ita de se concludit.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas.

10. Quæsiuit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

METRICA PARAPHRASIS.

**I**AM QVE opus exegi, quod nec Libitina sepulchro,  
Nec potis est tenebris condere sera dies.  
Sidera dum Titan alternâ lampade pellet,  
Voluetur nostrâ pagina ducta manu.  
Diuinum est quod dextra dedit, quod lingua profudit:  
Largior vt Sophiæ proluit ora latex.  
Expandi quondam, fateor, vaga Vela per orbem,  
Quò vis ingenij, quò rapiebat amor.

LIIII 2

Ingens